

- Tu solus nostræ portus & aura rati.
 Tu Juvenem ludos fatorum ac tela timentem
 Erigere, & gratam ferre libenter opem
 25 Assuetus, confide Puer, nec desere Musas,
 Dicebas, nam te præmia digna manent.
 Ecce, vides quas pascat ôves formosus Jolas,⁶
 Quà flavus liquidis volvitur Albis aquis? [28]
 Hæ tuæ erunt: dabit & calamos tibi pulcher Jolas
 30 (Tityrus ante illis lusit arundinibus)
 Ut divos divûmq^{ue} canas genus, ardua sceptra.
 Et cecini: sed nunc quid precor ista juvant?
 Si neque conantem numeri, neque verba sequuntur.
 Et tibi iö^a soli deficit ingenium?
 35 Ac non sic memores meritorum dulcium alumni
 Infelix Thamyras⁷, Calliopesque genus
 Tracturus citharâ cautes Oeagrius Orpheus⁸,
 Deflevére Linum⁹, quem manus Herculea
 Immerito extinctum leto demiserat umbris,
 40 Atque novum vatem miserat Elysio:
 Qui facili castos mulceret carmine manes, [29]
 Et fortunatum duceret omne nemus.
 Illi infelicis feralia munera threni,¹⁰
 Et primi mæstos instituére modos,
 45 Monstraruntque artem lugendi funera, doctumque
 Addere supremas munus ad exequias.
 Nequicquam, duro dum mens oppressa dolore
 Torpet iners, tacitis & stupet in lacrimis.
 Ut si cui emissi rutilans è nubibus ala
 50 Improviso ussit fulminis igne comam:
 Stat rigidis lux torva oculis, vox intus adacta
 Mæsta silet, membris nec vigor ullus adest.
 Me miserum! vanis sedenim indulgere querelis
 Quid juvat? has Zephyri mox levis aura feret^b [30]
 55 Per nubes & inane ingens mors non habet aures:
 Nullus & ad cineres inde redibit honor,
 Quem si quis poterit tibi conciliare canendo,
 O Pater! ô nostri cura dolorque animi!
 A nullo meliora feres, quàm quæ ipse parasti
 60 Ante tibi, cùm tot carmina lecta dares
 Purpureos hortos inter, tua regna: valebit
 Nulla ætas, nulla hæc unquam abolere dies.
 At tu mens animi sævum compesce dolorem,
 Et tandem querulis pone modum lacrimis.
 65 Nam quamvis procul ex oculis sua fata tulerunt, [31]
 Qui columen rebus præsidiumque tuis,